

DECANVS
COLLEGII PHILOSOPHICI
IN ACADEMIA VVITTEMBERGENSI
AVGVSTVS LEBRECHT VVILKE

1762.

106

A. M.
GRAECARVM LITERARVM PROFESSOR
PVBlicVS ORDINARIUS

31

ET


H. T.

IMPERIALI AVCTORITATE CONSTITVTVS
COMES PALATINV
PHILOSOPHIAE ATQVE ARTIS POETICAE
CANDIDATIS

S. P. D



DEGARNIA
COLLEGII PHISICOGRAPHICI
IN SOCIETATE AVITTA-BEROLINI
TACONIENSIS-AVANTIC
GRANICRUM ET TERRAKUM PROLIFEROS
LAERICIA ORDINARIA
IMPERIAL ACADEMIAE CONSISTENTIA
CORSI PARATISS
PHYSIQUE ATQUE ALIAS SCIENTIAS
CANDIDATIS



DE
SATYRICIS ROMANIS
COMMENTATORIBVS OPTIMIS

IN PARTEM EXTREMAM PRIMI CAPITIS EPISTOLAE

PAVLI AD ROMANOS

DISS. I.

Quid? Ergo Romani quoque Satyrici, petulantes illi
et illiberales scriptores, quorum famosi libelli tur-
pitudine rerum, obsceneitate verborum secent, quo-
rum mala carmina tantum abest ut auertant animos a
vitiiis, ut eorundem amore imbuant, hi quoque diui-
norum oraculorum erunt interpretes? ... Scilicet malus, quod se-
NECA a) pronuntiat, omnia in malum verit. Queimadmodum
stomachus morbo vitiatus, et colligens bilem, quoseunque acce-
pit cibos, mutat: ita animus coecus, quiequid illi commiseris, id
onus suum et perniciem facit. Nihil enim potest ad malos per-

A 2 uenire,

a) Ep. 98. et de Benef. Lib. V. cap. 12.

uenire, quod profit, imo nihil, quod non noceat. Sed bona verba quaeso! Omnis enim cuiusque rei explicatio e suis principiis mihi videtur deriuanda. Quae exempli gratia in noui instrumenti libris de militia veterum occurruunt, unde illustrabis, nisi ex eorum scriptis, qui de re militari tradiderunt? quae de coniuiis Graecorum ac Romanorum, quos tibi sumes interpres praeter eos, qui coniuvandi mores antiquos literis descriptos reliquerunt? Paulus igitur quando Romanorum suae aetatis scelera et flagitia vehementer exagiat, quos mihi magis idoneos, obsecro, dabis commentarios, quam monumenta Satyricorum eiusdem aeu, eiusdemque gentis, qui, sicut de Comicis **HORATIVIS** dicit,

*Si quis erat dignus descripsi, quod malus, aut fur,
Quod moechus foret, aut sicarius, aut aliqui*

Famosus, multa cum libertate notabant? b)

Est autem genus quoddam hominum, qui auctoritatibus faciliter cedant, quam rationibus. Hi desistent forte frontem contrahere, namque adunco nostrum, quem instituimus, laborem improbare, quando **SELDENVM**, c) certe non profanum, ita iudicantem audiunt: Nullus forsitan reperitur commentarius, qui comma vicesimum septimum huius capitii aequo explicet ac **PETRONII** Satyricon, quod ipsissimos mores ipsissimae aequi et ipsissimae gentis, cui apostolus expobrat; aperit. Satis, opinor, aperte et duculenter hoc doctissimi viri testimonium meam causam defendit, in quam ipsam sententiam **GOLDASTIVUS**, d) magni cuiusdam Theologi auctoritate munitus discedit: **PETRONIO**, qui praecepit in aula Caesaris inter domésticos principis locum tenuit, eoqueus extitit (haud scio annos et annos) D. Paulus Apostolus, admirandae illius et diuinissimae epistolae ad Romanos auctor, ex cuius principio, quae verba videntur in solam haec quoque rite habere. Non invenimus in modis sum.

b) L. I. Sat. 4. v. 3. sqq. c) in praef. ad librum de Diis Syris. d) in Prolegomenis ad PETRONIVM c. 4.

summam totius huius Satyrici complecti, ea verba iuuat appingere: Feminac eorum est. Hae ille, quibus verbis, qui volet planum et per spicium habere interpretem, ei ego vndeum hunc Petronium dederem: nec omnino vanum est magni cuiusdam Theologi dictum, caput primum ad Romanos sine Petronii Satyra intelligi non posse. e) De PETRONIO igitur cum praefantissimi viri hanc tulerint sententiam, quid vera sit, idem de reliquis etiam Satyricis praedicare, qui circa idem tempus Romani populi scelerata satis acriter traduxerunt? Quo vero nomine non eos solum, qui scripta sua Satyram nomine signarunt, HORATIVM, PETRONIVM, IVVENALEM, PERSIVM, intelligo, sed alios etiam poetas, MARTIALEM, CATULLVM, TIBULLVM, eiusque generis nonnullos, SENECAM etiam, qui sale Satyrico ipsos saepe poetas supererat. f) Sicut enim nemo negabit, FONTENELLII Dialogos mortuorum, HOLBERGII Iter subterraneum, SWIFTII libellos plurimos, BRYERII Notationes morum, comedias etiam quasdam, g) re vera Satyras esse, hoc quamvis nomine, multis inuiso, non insignitas: ita Romanorum ingeniorum monumenta illa, quae laudauimus, non iniuria in Satyram numerum transferes, ipsi licet horum libellorum conditores iisdem hunc titulum non fecerint. Hisce igitur ad diuinum Paulum illustrandum utemur, et haec Aegypti spolia, ad exornandum sanctum tabernaculum adhibita, consecrabitur.

A 3

dem

e) Comparari quoque potest BOVRDELOTI in sua ad PETRONIVM prae-
fatione iudicium, cuius ipsa verba, breuitatis cupidi, non adducimus.

f) Est haec sententia CEL. GOTTSCHEDII in der critischen Dichikunß,
p. 559.

g) Exemplo esse potest commedia nouissime Parisiis acta les Philosophes par
Mr. Palissot de Montenay, quae in Commeur. lit. Goetting. ad annum
1760. p. 1120. Satyra compellatur, cuius etiam argumentum ibidem
breuiter expunitur. Quapropter illud differim in vniuersum valere dubito,
quod RAMLERVS in der Einleitung in die schönen Wissenschaften
T. III. p. 1111. Satyram inter atque commoidiam constituit, illam dire-
sto, hanc per ambitus hominum vitia oppugnare.



Generatim quidem adeo turpem, adeoque foedam Satyrici effinxerunt imaginem Romanorum, ea aetate viuentium, qua Paulus eorundem mores perditos delineauit, ut putares eos ultra fidem loqui, nisi historia idem comprobaret. Quemadmodum enim illis temporibus Roma tanta eminuit gloria, ut omnium urbium splendorem vna contineret coniunctum et copulatum, b) ita omnium etiam urbium nationumque flagitiis adeo erat referta, ut priora secula scelerum atrocitate longissime post se relinqueret. Cum ipsa enim magnitudine imperii vitia creuerant. i) Quapropter **IVENALIS**, cui difficile videbatur in urbe tam iniqua satyram non scribere, acuta scribendi ratione eam aetatem et prioribus omnibus facinorum abundantia anteponit:

*Nona aetas agitur, peioraque secula ferri
Temporibus, quorum sceleri non inuenit ipsa
Nomen, et a nullo posuit natura metallo, k)
et sequentibus etiam seculis praesert in prima statim Satyra: l)
Nil erit ulterius, quod nostris moribus addat
Posteritas.*

In singularibus vero criminibus, in quae Romani iustissimo

Dei

b) Sic ATHENAEVS L. I. c. 17. eam vocare non dubitauit *πατρούς τῆς οἰκουμένης*, ēt ἡ οὐρανὸς τῶν θεῶν πάντων τὰς πάντας ὑφεπεινει.

i) In alia quidem omnia videtur SENECA discedere, quando ep. 97. Lucilio suo scribit: *Erras, si exstimas, nostri seculi esse vitium luxuriam et negligientiam boni moris. — Nulla aetas vacans a virtute.* Et L.V. Nat. Quaest. c. 15. *Invellexi, seculum nostrum non novis virtutis, sed iam inde antiquitus traditis, laborare.* Sed videtur tantum grauis hic morum censor secum ipse, et cum reliquis vitorum arbitris pugnare. Nisi enim me fallit animus, hisce in locis de vitorum speciebus agit SENECA, quae non nouae erant, sed ab exaesta iam vetustate editae; nihil tam minus Romani runc facinorum immanitate antecedentes tempes states longe omnes multumque superabant.

k) *Sat. XIII. v. 28. fqq. l) v. 147.*

Dei iudicio erant prolapsi, primum numerat diuinus scriptor effrenatas et infames cinaedorum atque fricticum libidines, in iisque commemorandis praeclaras virtutis modestia: *αἱ τε γὰρ θῆλειαι ἀντῶν μετήλλαξαν τὴν Φυσικὴν χρῆσιν εἰς τὴν παρὰ Φύσιν ὄμοιως τε καὶ οἱ ἀρσενες, ἀφέντες τὴν Φυσικὴν χρῆσιν τῆς θηλείας, ἐξεκανθιζόσσαν ἐν τῇ ὁρέει αὐτῶν εἰς ἀλλήλας, ἀρσενες ἐν ἀρσεσι τὴν αἰχμοσύνην κατεργαζόμενοι κ. τ. λ.* A qua vero infamia quia ipsa natura abhorret, horret etiam animus apertius de eadem loqui, quam a Paulo, verecundiae exemplo, factum est. Quare PRTRONII, alias quidem multa cum libertate loquentis, sententiam meam faciam: *Heu pudet effari. m)* Haec igitur humani generis dedecora praetereo ac relinqu, et ad reliqua nefanda omnino et truculenta Romanorum sceleram me refero consideranda, quorum nubes vicefimo nono atque tricesimo commitate adducitur, eoque magis, quod plerique interpres in generalibus modo notionibus haeserunt euoluendis. Satyricos autem huius gentis quando consumimus, non obscure appetit, plerisque vocibus singulis singularia, eaque Romanis maxime propria, terigisse Paulum vitia, quorum inuestigationis has exercitationes destinauimus.

Agmen eorum dicit Adixia, ita Romario populo nativa, ut eadem a ceteris omnibus gentibus nationibusque distingueretur. Sicut enim Graecis perfidia, Cretensibus et Cilicibus mendacium, Campanis superbia adeo fuerant propria et peculiaria virtus, ut in proverbii consuetudinem venerint, ita Romanis Injustitia. Nam *primum* vniuersum eorum imperium iniustitia fundatum erat, auctum et stabilitum, quando sine omni iusta causa exterorum populorum regiones diripuerant, suaeque potestati subiecerant. Quapropter diuinum Paulum ad hoc iniustitiae genus potissimum advertisse, mihi quidem extra dubium videtur possum. Quam insatiablem

m) c. II9.



tabilem bellandi terrasque per iniuriam ad se rapiendi cupiditatem
nescio an quis alias eleganter descripsent PETRONIO, scriptore in
plurimis certe venustissimo et polissimo:

*Orbem iam totum victor Romannus habebat.
Qua mare, qua terrae, qua sidus currit utrumque.
Nec satiatus erat. Grauidis freta pressa carinis
Iam peragebantur. Si quis sinus abditus ultra,
Si qua foret tellus, quae fuluum mitteret aurum,
Hostis erat, fatigisque in tristia bella paratis. n)*

Secundo non immerito forte respici existimo ad letalem virbi ambi-
tum, immensaque largitiones, quibus imperatores, senatus, iudices-
que pene omnes corrupti se passi sunt, vi vel munera publica,
πολιτείας χρέος, quod eleganter dicunt Graeci, perentibus assignarent,
vel malae causae fauenter, iustum condemnarent. Quemadmodum
Thebis olim, quod e PLUTARCHO narrat MVR ET VS, o) politae
fuerunt in publico iudicium statuac, eaque sine manibus, quod
indicio esset, nihil eos a quoquam accipere debere: ita Romani
ex aduerso iudices manibus quam maxime vrebantur in ponderan-
dis caifarum momentis, eorumque imagines certe non sine mani-
bus erant statuendae. Legi meretur hanc in rem PROPERTII pla-
ne egregia descripicio:

*At nunc deserts cessant sacraria lucis,
Aurum omnes, victa iam pietate, colunt.
Auro puls'a fides, auro venalia ira,
Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor. t) Tertio*

n) PETRON. c. 119. Quale etiam coniunctum in Romanos VIII refert LI-
VIUS L. XXVI. c. 13. et Mithridatis IUSTINVS L. 38. vid. IO. ALEX.

BRASSICANI ad laudatum PETRONII locum Schöha.

o) Vol. I. Or. 18. p. 163.

p) L. III. IO. cf. OVIDIUS L. II. de Arte amandi v. 277. TIEVLLVS II.
4. et HORATIVS L. III. Od. 16.

Tertio *huc referas iniustam rapacitatem, qua Praefides, Praefecti,
et Procuratores suae administrationi commissas regiones et urbes
exhauserunt, ob quam cum villicis eosdem confert IVVENALIS:* q)

*— — — — — rapta properabat abolla
Pegasus attonitae positus modo villicus urbi
anne alind tunc Praefecti?*

Non minus autem frequens in hac vitorum omnium sede
atque domicilio fuit πορφύριος, quae hoc loco μοργέας simul comple-
xitur, sicut haec saepissime continet, cuique alterum tribuit
locum PAVLVS, Romanorum morum arbiter et reprehensor. Adeo
enim iam res erat corrupta, ut non in virtutis ea amplius poneretur,
sed urbanitatis nunc nomine veniret, et ad morum elegantiam quam
maxime necessaria existimatetur. Duobus IVVENALIS locis, r)
atque unius HORATII, s) a WETSTENIO allatis, aliud addo IVVE-
NALIS testimonium, quod, quam effrenatae Romanorum fuerint
libidines, praecclare confirmat: t)

*Præterea sanctum nihil est et — — tutum,
Non matrona laris, non filia virgo, neque ipse
Sponsus levis adhuc, non filius ante pudicus.*

Atque ego hoc non valde miror. Quia enim aliter fieri potuit,
quam ut omnes castitatis et pudicitiae leges violarent, seque in
summas turpitudines immoderato animi impetu effunderent,
cum Deum suorum libidinosos amores in ipsis templis effictos
quotidie cernerent oculis? Quam causaq; tradit ipse tenerorum
lusor amorum, scribendique genere admodum satyrico perstrin-
git: u)

*Quis locus est templis augustior? hacc quoque vitet,
In culpam si qua est ingeniosa suam.*

B

Cum

q) Sat. V. v. 76. sqq.

r) Sat. II. v. 37. et VI. 293.

s) L. II.

Sat. 7. v. 13.

t) Sat. III. v. 119.

u) Trist. L. II. v. 207.



Cum steterit Iovis aede, Iovi succurret in aede,

Quam multas matres fecerit ille Deus.

Quod ipsum argumentum persequitur sequentibus etiam versibus,
quos omnes appingere nimis longum fore, potissimum quia hac in
accusationis parte non diu morari constituimus. ^{x)}

Quam tertio loco exprobret vitiorum Romanae gentis exag-
rator, *Malitia*, quod maius esse potest argumentum, quam trucu-
lenta illa veneficia, quibus coniuges maritis immaturam mortem
pararunt? Feminarum hoc in primis et est, et fuit scelus, quae
quo minus vi pollent, eo maiori nequitia et perfidia struere solent
insidias. Testis est tristis illa historia, quam **LIVIUS** narrat. ^{y)}
Ancilla quaedam ad Qu. Fabium Maximum venit, indicaturam se
causam publicae pestis professa. Tum patefactum, muliebri frau-
de civitatem premi, matronasque ea venena coquere, et, si sequi
exemplu velint, manifesto deprehendi posse. Secuti indicem, et
coquentes quasdam medicamenta et recondita alia inueneront: qui-
bus in forum delatis, duae ex iis, cum ea medicamenta salubria es-
se contenderent, ab confutante indice bibere iussae, ut se falsum
commentari arguerent, spatio ad colloquendum sumto, cum sum-
moto populo in conspectu omnium rem ad ceteras retulissent: haud
abnuentibus et illis bibere, epoto medicamento suam ipsae fraude
omnes interierunt, comprehensae exemplo earum comites, mag-
num numerum matronarum indicaverunt, e quibus ad CLXX.
damnatae. Quare **IVVENALIS** etiam nobis ostendit matronam,
marito venenum in auro porrigitem, et propinquas ad idem fee-
lus laceffentem: ^{z)}

*Occurrit matrona potens, quae molle Calenum
Porrectura viro miset fitiente rubetam,*

Inflati-

^{x)} Facit hue quam maxime Od. VI. L. III. NORATII, in primis a v. 21.

^{y)} L. VIII. c. 18. ^{z)} Sat. I. v. 69. sq.

*Instituitque rudes melior locusta propinquas,
Per famam et populum nigros efferre maritos.*

*Secundo sine dubio refert animum ad iniqwas fraudes, quibus alter
alterum amicitiae specie circumvenire annitebatur, nec ullus fere ex
animo amicus, vereque benevolus et fidelis reperiebatur. Apud
Romanos enim, secundum notum OVIDII versum,*

*Nomen amicitiae, nomen inane fides,
quocum apprime conuenit, quod SENECA scribit: a) Olim amicitia
petebatur, nunc praeda. Ollarii maxime hic pertinent amici, qui
diffugiant cadis cum faeces siccatis, ferre iugum pariter dolosi, de
quibus admodum belle pro more suo dicit PETRONIVS: b) Cum
sociorum olla male feruet, et vbi semel res inclinata est, Amici de
medio. Praeclarae et ingeniosissimae sunt OVIDIANAE compara-
tiones, quibus hanc amicorum perfidiam et inconstantiam confert,
quaes vel ex eo pretium nauctae sunt, quod infelici illi literato Fran-
cisco Augusto Thuano, idem experto, adeo arriserunt, ut ad sup-
plicium ductus easdem semper in ore haberet, indeque solatia in
summa sua infelicitate repereret:*

Adspicis, ut veniant ad candida tecta columbae:

Accipiat nullas sordida turris aves?

Horrea formicae tendunt ad inania nunquam,

Nullus ad amissas ibit amicus opes.

Vtque comes radios per solis euntibus umbra est;

Cum latet hic pressus nubibus, illa fugit. c)

*Accedit ad novum crimen PAVLVS, Avaritiam, cui nullum of-
ficium tam sanctum et solemne fuit, quod non comminueret atque
violaret. Scio nullam gentem, nullam quoque aeratem ab hoc ha-
bendi studio omnino fuisse liberam; causae tamen quid subesse de-
buit, cur diuinus scriptor Romanis potissimum obiiceret hanc pe-*

B 2

cuniae

a) ep. 19. b) c. 38. ibique vide Commentatores apud BVRMANNVM,
c) Trifl. L. I. El. 8. cf. MARTIALIS L. IX. ep. II. HOR. L. I. Od. 35.

cuniae cupiditatem. Scilicet vix adeo stultam, adeoque ridiculam inuenies avaritiam, quam illam, quae Romanos circa illud tempus occupaverat, si verum est, quod de Caligula refert **S V E T O N I U S**, d) eum pecuniae contrectandae libidine incensum super immensos aureorum aceruos, patentissimo diffusos loco, et nudis pedibus spatiatum, et toto corpore aliquamdiu volutatum esse. Summum enim humani generis bonum Romanis putabantur coaceruatae dignitiae, quibus nihil maius, nihilque melius dare videbantur dii immortales potuisse.

- - - - -

*Omnis enim res,
Virtus, fama, decus, diuina humanaque, pulcris
Diuitiis parent, quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, iustus, sapiensve etiam, et rex,
Et quoquid volet. e)*

Imo eo usque temeritatis progediebantur, ut diuitiis modo immensis ornati facile se deum auxilio carere posse sibi viderentur. Festiu[m] satis eos ideo eludit politissimus **P E T R O N I U S**:

*Multa loquor, quiduis nummis praesentibus opta,
Et veniet, clausum possidet arca Iouem. f)*

Secun-

d) in *Vita Calig.* c. 42. Idem egregium narrat artificium Vespasiani c. 16. procuratores eum rapacissimos ad ampliora officia promouisse de industria, quo locupletiores mox condemnaverat: quibus propterea dictum fuisse uti pro spongiis, quod quasi et siccos madefaceret, et humentes exprimeret.

e) *HOR. L. II. S. 3. v. 94.* adde *L. I. ep. I. v. 53. SEN. ep. II. 5.* nec non *IVENAL. S. X. v. 23. lq.*
Prima fere vota, et canticis norissima templis,
Diuitiae ut crescant, ut opes, ut maxima toro
Nostra sit arca foro.

f) cap. 97. ad quae verba acutissima cf. **MENANDRI ET PHILEMONIS** fragmenta p. 246.

Secundo eadem insatiabili atidititate incitabantur, ut gauderent sanguine alterno, bella gererent, gerendaque liberis tradereant. Plurimas ipsis veneres aliena pecunia habere videbatur. Comprobant haec ea, quae de iniustitia Romana dicta sunt, quae etiam ad Φθεον et Φόνον, quod duplex crimen iisdem obicit PAVLVS, illufrandum referri possunt. *Tertio* conspicua haec avaritia fuit in iudicibus nummariis, quos PETRONIVS carpit: g)

Quid faciant leges, ubi sola pecunia regnat,

Aut ubi pauperitas vincere nulla potest?

Ipsi qui Cynica traducunt tempora coena,

Nonnunquam nummis vendere verba solent.

Ergo iudicium nihil est, nisi publica merces,

Atque eques, in causa qui sedet, emta probat.

De dolo Romano elegantem IVVENALIS locum notaueram, quem vero WETSTENIUM praeripiisse mihi video. Afinis huic vitio est ψιθυρισμός, scilicet occulta susurratio. Dicunt Graeci ψιθυρίζειν 1. de soliorum strepitu sonoro, cuius exemplum est in initio primi Idyllii THEOCRETI, ubi ψιθύρισμα πίτνος, pinus susurrus occurrit; 2. de auium minuritionibus, quam vim vocis CASAVBONVS b) loco ex Anthologiae libro septimo adducto, atque a se e-

B 3

men-

'Ο μὲν Ἐπίχριστος τὸς θεοῦ εἶναι λέγει
'Αἰρεσούς, σῶμα, γῆν, οὐλούς, πῦρ, λείψας
'Εγειρότες τὸν κενταύρον εἶναι θεοῦ
Τ' ἀργεῖον οὐνού καὶ τὸν κενταύρον μένον
Ιδουράμενος τούτους γὰρ εἴ τις εἰκεῖα,
Εὐλόγη, τι βούλει, πάντα τοι γεννήσει,
'Αγρός, αἰκίας, θαρράποντος, ἀργυρωμάτω,
Φίλοι, δικαστοί, μελέτης τούτου,
Αὐτοὺς γὰρ ἔγειρε τοὺς θεοὺς ὑπεργίρας.

g) cap. 14. b) in lectionibus Theocriteis p. 19.

mendato; confirmavit; 3. de lenibus amantium susurris, quos HORATIVS i) vocat, de quibus ita THEOCRITVS; k)
Ως ἐι μὲν χλοερῶν λανόμενοι μελέστωνται τοῖσαν εἰπεῖν
Αλλῆλοις φιθύρεσθαι. 4. denique de clandestinis delationibus, quas
hoc loco sacer scriptor intelligit. Quae quanti fuerint in Romana
gente frequentes, doceat IVVENALIS! l)

Non est Romano cuiquam locus hic, ubi regnat
Protogenes aliquis, vel Diphilus, aut Erimantus,
Qui gentis vita nūquā partitur amicum:
Solus habet: nam cum facilem stillavit in aurēm, m)
Exiguum de naturae patriaeque veneno,
Limine suminovet — — —

Hi sicut furtiuis machinationibus famam alterius laedebant, ita alii
eandem aperti calumnias oppugnabant, et optima in deterius tor-
quebant, quos HORATIVS vocat PAVLVUS, quibusque linguae verbe-
ra tribuit HORATIVS, corumque imaginem in satyris deformat.

Succedunt osores et contemtores Deūm, θεοσύγεις, ita enim
cum GROTI O lego, quia non de poenis, sed de vitis agitur. Sa-
tyricos dum euoluo, tria potissimum inuenio huius criminis argumen-
ta, quo religionem omnem pietatemque in deos violabant. Pri-
mum nulla reverentia colebant nomina, locaque illis sacrata, sed aras
templaque eorum non contemnebant solum, sed summa quoque con-
tumelia afficiebant. Componit IVVENALIS o) sua tempora cum
antecedentibus tempestatibus, quibus nemo contemtor numinis,
nemo simplicem adhuc et rudem cultum a Numa institutum,

i) L. I. Od. 9. k) Idyll. 27. v. 67. Idem in Idyll. 2. v. 141. de simili
Il re: καὶ ἴψυχεδους ἀδύτης. l) Sat. III. 129. m) Conuenit
cum Graeco εἰς ὄντα φίγειν, qua dictione de Ulyssē delatore viriur so-
PHOCLES in Aiasc v. 149. n) L. III. Od. 12. L. I. Sat. 4. o) Sat.
VI. v. 342. sqq. q) quidamque inveniuntur in (A. 41. l. 19. 2)

vasa fictilia in sacris adhibita, fragilesque de monte Vaticano patellas ridere ausus fuerit:

— sed nunc ad quas non Clodius aras?
religiosa ira incensus exclamat. Deinde officia fere omnia Diis praeflenda cachinno exceperunt, imprimitisque iusitrandum, quod maioribus sanctissimum fuit maximeque venerabile, dignum iis visum est, quod omnium irrisione luderetur. Sicut enim pueri talis, ita se sacramento sudere posse existimarent. Audiamus Satyricorum facile principem, IVENALEM: p)

— — — — — nefcis
Quem tua simplicitas risum vulgo moneat, cum
Exigis a quoquam, ne peieret, et putet ullis
Esse aliquod numen templis, araeque rulent?

Innuit idem PERSIYS, q) pro inepto et ridiculo homine cum scribens suisse habitum, qui ea aerae fidem et iusitrandum negligere et violare religioni sibi duxerit:

Verte aliquid, iura. Sed Iuppiter audiet: ehen
Baro, regustatum digito terebrare salinum
Contentus perages, si vivere cum Iove tendis.

Post eiusdem criminis Geosyrias reos se fecerunt illi, qui prouidentiam curamque diuinam plane negarunt, qui, IVENALI r) teste, in fortunae casibus omnia posuerunt, nec ullo crediderunt mundum rectore moueri, sed naturam tantum lucis et anni putarunt vires volvere, ideoque quaecunque altaria intrepide tetigerunt. Reliqua super hanc Paulinam descriptionem momenda alteri exercitatiōni reseruanus.

• Scripsimus autem haec in praesenti non tam quia voluimus, non enim nos, quod multos, insanabile tenet scribendi cacoethes, quam

p) Sar. XIII. v. 34. sqq. cf. v. 90. q) Sar. V. v. 137. r) Sar.
XIII. v. 16. sqq.

quam quia debuimus. Necesitas enim quaedam literis nonnulla mandandi imposta nobis est, quia indicenda sunt Solemnia distribuendorum summorum in Philosophia atque Arte Poetica honorum, ab Ordine meo decreta, et d. XXX. Aprilis huius anni celebranda. Vos igitur, CLARISSIMI atque PRAESTANTISSIMI CANDIDATI, profitemini nomina YESTRA, studia moresque honestos nobis comprose, et eruditioris arque virutis ornamenta, me brabeuta, capessite. Tu autem SVMME DEVS, in quo spes nostras omnes reponimus, effice, ut hic dies, qui semper huic academiacae festus et candidus fuit, pacem et tranquillitatem vniuersam videat restitutam. Redde ante illum diem nobis REGEM MITISSIMUM, PATREM PATRIAE OPTIMVM, EVMque et PRINCIPEM REGIAE IVVENTVTIS, GENTEMque VNIUERSAM REGIAM, custodi, protege, defende, bonisque ILLOS tuis auge semper et exorna. Hanc quoque literarum sedem, aliam nostram matrem, o Auctor Statorque academiacae nostrae!

— — quo praeside nunquam

Res equidem nostras collapsas metuam,
e faucibus belli eruptam, siste rufus, inque sua sede colloca. Ad TE confugimus supplices, TE veneramur, impone legem bellis,
ac pacem firma. TIBI concinimus, TE adoramus, per TE viuimus, per Te floremus, TV, sidus nostrum,

ADSPICE. NOS. HOC. TANTVM. ET. SI. PIETATE. ME-
REMVRI.

DA. DEINDE. AVXILIVM. PATER. ATQVE. HAEC. QMNA.
FIRMA.

P. P. in academia VVittenbergensi festo Epiphanias die A. R. S.
clop iacc LXII.

VVITTENBERGAE
PRELO EPHRAIM GOTTLOR EICHSELDI
ACADEMIAE A TYPIS.

ULB Halle
002 671 204


3



PA 20

B18





CANVS
PHILOSOPHICI
VVIT TEN BERGENSI
EBRECHT VVILKE

1762
106
31
A. M.
TERARVM PROFESSOR
S ORDINARIVS
ET
H. T.
TORITATE CONSTITVTVS
PALATINVS
TQVE ARTIS POETICAE
NDIDATIS
P. D